


MISCELLANEE
B. BIBLIOTECA
NAZ. CENTRALE
DI FIRENZE
1034
31

MICHAELIS CASTELLI FIVIZANENSIS

APVD PISANAM IVVENTVTEM PVBLICO
Ciuitatis stipendio bonas literas profitentis
in D. CATHARINAE Solemnibus

ORATIO

IN EIVSDEM D. CATHARINAE Templo habenda.






PISIS,

Apud Leonardum Zeffium M.DC.XXVIII.

SVPERIORVM Permissu.






MICHAEL CASTELLVS

Perillustri D.

CAMILLO

CAMPILIAE

Patrono suo Colendissimo S.






I vllius vnquam opus cum in lucem est productum vindicis operam flagitauit, haec certe oratiuncula illã vel maximè desiderat, vt quae vno die properata vel imperitiae si displiceat, vel temeritatis etiã si placeat authori notã inurat. Scis me numquam nisi coactum hoc discrimen fuisse subiturum. quod si fueris testatus egregiè me à reprehensione vindicabis. Muneris me puderet, nisi ingentis erga te obsequij conscientia solaretur. Neque rem ad te tantulam de tulis-

geri nisi perditissimam causam magno patrono indigere existimarem. Hominem igitur amplectere, & illa authoritate, qua fretus publicum iudicium sum ausus experiri defende. Vale 7. Cal. Decemb.



MICHAELIS CASTELLI
FIVIZANENESIS
In D. CATHARINAE Solemnibus Oratio.
Habenda in templo eidem Pisis dicato.
VIRGINEA CONSTANTIA.



VANTOPERE me vobis, Clarissime Praetor, Reuerendiss. Praesul, Excellentissimi Doctores approbare studeam, si minus antehac perspectum est, nunc vel maximé planissimo documento potest apparere. Ad huius diei celebritatem, ad hunc doctissimorum hominum cócursum, ad hanc nobilissimorum ciuium frequentiam orationem multò ante comparatam, qui mihi hunc locum reliquerunt, per aliquem ex ingenua iuuentute in id cum cura subornatum recitare consueuerunt. Ita scilicet amplissimi Collegij publica, ita singulorum pietas exigebat, vt scientiarum miraculo portentosae Virgini per adolescentem, qui ad scientias anhelaret apud eximios scientiarum omnium professores honos haberetur. Hunc ego per aliquot annos morem intermissum, cum primum in hanc vrbem erudiendae adolescentiae causa sum accitus restaurare constitueram. Sed iam de eo qui recitaturus esset cogitantem nescio quid suspicionis non vanae à proposito dimouit.

Non defuit autem, qui sua humanitate meas partes explere conatus, quasi socordiam increpitans me molestia liberare, ac istam mihi prouinciam praeripere tentarit: quod non priùs animaduerti, quàm temporis angustiae omnem meo fungendi officio facultatem denegarent. Comittendum tamen non putaui, vt (quamuis meum obire munus in hunc annum desperarem) vel pietate erga D. Catharinam cuiquam cederem, vel vestrae aures, quas mihi possem demereri aliena oratione imbuerentur. Itaque meam ipse nouo exemplo discipulorum vicarius vnius diei, & inter docendi negotium meditatam ad vos affero: quam rem non tam ingenij laudem, quàm excusationem, & veniam à vobis mihi impetraturam spero: neque enim acerrimum excultissimorum hominum iudicium non perhorresco, quin potius proximam temeritati audaciam non grauor agnoscere. nec abstineo: nam de D. *Catharinae* supra humanam fortitudinem virtute dicturum audacter agere decet. Extremum esse scio absolutissimae artis, ac longissimae exercitationis fructum à paucis foeliciter affectatum posse de proposito argumento, quamuis extempore dicere; nec mihi tantum tribuo, vt quam rari metam contigerunt, ad eam me cum laude perventurum esse confidam. Sed animos illud facit, excitatque desidentem, quod Virgineae virtutis clarus per se satis fulgor eloquentiae lumine minùs desiderare videtur, cum verendum sit magis ne nimius ille nostram perstingat aciem, quàm ne oratio sordescat. Quid enim obscurum esse potest, quod tantis splendoribus illustretur? Nullum D. Catharinae gestũ, nulla vitae, mortisue pars miraculo vacat. Sed si adolescentulae in Christiana professione constantiam, virgun-

culae aduersus tyrannum audaciam, mulieris aduersus blanditias, & supplicia fortitudinem contemplemur, quid potest, per Deum immortalem, excogitari praeclarius? Hoc ego spectaculo vt vos oblectem triplex strenuissimae Heroinae certamen in hac arena editum vestris oculis subijciam. Primum illi contra domesticos hostes fuit sustinendum, & eò quidem acriùs, quò crebriùs Stygio veneno imbutis telis impetebatur. Quam multas vidimus arces loco, & opere munitissimas modicis oppugnatoris opibus pertinacia tantũ victas, atque expugnatas victorum libidini patuisse? quae res ipsa admirabiliorẽ Catharinae facit triũphum. Parentum exempla, regiaę domus affluentia,& luxus,eximia formae pulchritudo machinae ad muliebrem praesertim animum euertendum violentissimae illã à recto pietatis tramite ne transuersum quidem vnguem flectere valuerunt. Haec omnia quanta sint vt intelligatur planiùs, singula mecum expendite. Primò quidem cunctorum euincitur Philosophorum suffragijs,immo quotidianis experimentis comprobatur, ita naturae lege constitutum esse, vt à parentibus filij non modò corporum habitus accipiant,sed eorum quoque mores, animique saepe motus imitentur: quamuis enim animus nulla ex materia concrectus, curruptioni minime obnoxius ex ipsius Dei veluti officina in corpora demittatur, affines tamen corpori qualtates cũ contrahere perspicuum est. Idque nemo mirabitur qui modò animaduerterit natale quoque solum, quamquam nullas in hominis generatione partes habere videatur, multum ad mores inigeniumque conferre. Hinc fit vt aliae alijs regiones doctorum hominum sint feraciores, hìc ad liberales artes, alibi ad arma proniores homines

nascan-

nafcantur. Itaque cùm externa haec tantam in animos vim habere perſpiciamus, parentibus eandem in liberos denegabimus? Quid eſt, quòd turpiùs peccare exiſtimamus probis parentibus ortos, flagitia verò parentum imitantibus ſuccenſemus minùs, niſi quòd illos naturam ducem auerſari; hos autem ſequi arbitramur. Agite verò Aud. quos habuit maiores Catharina quorum pietatem ſectaretur? Reges ſcilicet Aegypti, quibus longa cògnatione erat annexa, & ipſos turpiter Daemonibus ſeruientes, & ſeruientibus flagitioſiùs imperantes, quorum praeter impietatis, & ſuperbiae nulla illi exempla ſuppetebât. Iam verò quid minùs pietati, ac pudicitiae commodum, quàm immodicae opes quae ad luxũ, atq; libidinem plerumq; ſolent incitare; quantae verò Catharinae fuerint ea res argumento eſſe poteſt, quòd cũ virgines alioquin, quamuis priuatum faſtigium excedentes, colum acumq; tractare doceantur, Catharinae Philoſophi, Rhetoreſq; à parentibus ſunt conducti, à quibus ijs quoq; diſciplinis erudiretur, quae magnis tantummodo viris conuenirent. Ad haec tantus Catharinam oris corporisque decor honeſtabat, vt immanis quóq; tyranni feritatem potuerit mitigare, quantus nunquam fuit eorum, qui ſemetipſos adamaſſe perhibentur. Haec habuit exmpla Catharina, haec flagitiorum magis, quàm virtutum irritamenta. Quibus omnibus nõ ad inſolentiam muliebriter eſt abuſa, ſed animi virtutem ijs reſiſtendo durauit, in maiora, quae diuino monitu ſibi ſupereſſe certamina cognouerat, vnde victricem palmam ad cęleſtem ciuitatem eſſet perlatura. Ex hoc igitur domeſtico triumpho ad nouum certamen in templum longo famularum comitatu tanquam acie inſtructa proceſſit. Oculos quaeſo

Audi-

Auditores à me ipso animumq; ad Catharinam conuertite. Conspicite regiam Virginem praeter venustatem etiam oris dignitate commentitios heroas praecellentem, conspicite, inquam, cum pedissequarum agmine velut ad insigne aliquod facinus ingredientem. Rogate quo pergat liberius quàm vt eam deceat aetatem. Certè magni aliquid praeferre videtur. At at iam in mentem venit quò procedat: edixit Imperator, vt cuncti ad solemne Iouis, Mercurij, aliorumq; Deorum sacrum conuenirent; thus ancillae ferunt, mox opimam duci victimam cernetis. Imò verò Aud. indignata, quòd videt tam multos in turpissimum daemonum seruitium ruere inermis ipsa vltro venit Imperatorem omnibus satanae artibus instructum, qui tantum iubet flagitium inuasura. Inermis inquam corpore, quod saeuitiae carnificum obijcere non formidat: animo autem contra omnes impulsus tam validè munita, vt ne flecti quidem, ne dum frangi posse videatur. Itaq; ignita fulmina Rhetoricis machinis excussa in Maxentium torquet, quorum vim cum nec repellere, nec sustinere se posse videret Philosophos Rhetoresq; quos Catharinae opponeret iussit acciri, qui barbaro fastu, vanaq; sapientiae opinione tumentes deludi se ab Imperatore putabant, quòd cum muliercula ipsi tanti nominis Viri disputare cogerentur. Sed in certamen ingressi tandem non cum insano Babylonio, vel dicaci Graeculo esse sibi negotium cognouere: maius illis Mercurio numen Catharinae adesse videbatur, cum ne illum quidem ipsum, quem eloquentiae parentem venditabant puellae modò non infanti parem futurum esse arbitrarentur. Itaq; qui paulò ante Catharinam spernebant ipsam cupidius incipiunt auscultare. Nec tam

prae-

praeclaram rei benè gerendae opportunitatem virgo praetermisit: praedae intenta, quam thesauris caelestibus aggereret instat, vrget, donec stupentes & victos ad suas trahit partes. Age, Maxenti, quos tu aduocatos appellasti in aduersariorum sententiam transiere. Num causa cedis? num te victum confiteris? stupore simul, ac furore amens obmutuit, ac Philosophos quidem quòd causam prodidisse putabat, & Christum cum Catharina profitebantur in flammas coniectos geminae illius victoriae nuncios ad caelites praemisit. Virginem verò quà blanditijs, quà minis aggressus, postquam neutra se ratione videt proficere, saeuissimè caesam verberibus in carcerem detrudit, vbi negato cibo lenta morte conficeretur. Quid hac dici CONSTANTIA maius, quid hàc fortitudine augustius praedicari potest? Virgo, cuius opibus omnes conciues inuidebant, cuius matrimonium nobilissimi quiq; affectabant, domesticis cōmodis beata immanissimis feris crudeliores carnifices suis poenis vltrò delassat, suo sanguine satiat. Hinc, viri, hinc fortitudinem discite, hinc exempla CONSTANTIAE petite. Desinat Sapiens mulierem fortem inuestigare, nisi humana conditione augustiorem virginē augustiori quàm mulieris nomine compellandam arbitratur. Et sanè diuina res est multorum dierum inediam tolerare, carcere pro caelo vti, Angelicis colloquijs frui, in obscurissimis specubus caelesti lumine perfundi. Duodecimo die post quam illuc erat detrusa proferri à Maxentio iubetur virginis cadauer, vt vibices cernens verberum saltem recordatione efferatum animum oblectaret. Inuenta est multò quàm fuerat antè vegetior, deletis flagrorum vestigijs & corpore veluti ad noua supplicia restaurato. Erubuit

tyr-

tyrannus, & qui ſuum antea crimen imprudentiae nomine praetexere potuerat, aperto coepit Deum bello prouocare. Nam poſtquam nihil de Catharinae CONSTANTIA aduerſus illecebras imminutum videt, nouam ad eam oppugnandam machinam confingit. Quatuor comparat rotas acutiſſimis cultris praefixas ferreis ita connexas vt horrendum in voluendo ederent fragorem, quo niſi virgo terreretur, cultris impoſita diſcerperetur. Sed vana iſta terricula Catharinae ſolidè fortem animum nihilò plus mouere valuerunt, quàm ſi lenis aura firmiſſimam rupem impuliſſet. Impoſita eſt igitur rotis, quae ad laedendum infirmiores, quàm Catharina ad patiendum ipſam ruptis vinculis incolumem excuſſere, atque in tortorum perniciem tota mole corruerunt. Quid cunctaris Maxenti? ſiquidem obſtinatum eſt animo ſaeuire, alios accerſe tortores, alias comminiſcere machinas, vel quod promptius eſt ſecuri percute, ita totum ſanguinem, ſi quem priores plagae reliquerunt, vnus ictus profundet: illius CONSTANTIAM nihil eſt, quòd te conuulſurum ſperes. Sapientes aduoca, blandimentis illecta, minas intenta, indigniſſima ede exempla, tantam virtutem infringere nunquam poteris. Huc eſt, Auditores, prouecta prodigioſa Catharinae fortitudo. Non paternis exemplis, aut domeſticis ad flagitia irritamentis, quae vel conſtantiſſimum animum praecipitem egiſſent à pietatis eſt curſu reuocata. Non ipſius Maxentij venenatae illecebrae, aut horribiles minae illius fidem corruperunt. Non philoſophorum conquiſitis ipſam argumentis adorientium authoritate nutauit; ſed feruore diuino inflammata, quos tyrannus ſaeuiens ad eam oppugnandam miſerat expugnauit.

Quid

Quid plura? plagae, vincula, serrae, cultri, rotae firmissimum animum nequaquam terruerunt. Triplicem ex triplici certamine palmam reportauit, triplicem ad caelum triumphum duxit, vbi nunc gloriosis insignibus ornata conquiescit CONSTANTIAE suae pretio aeternum fruitura.

Dixi.





